

Franz Albert Aepinus


**Rectoris Academiæ Varniacæ, Franc. Alb. Aepini, S. S. Theol. D. ... Programma in
ita dicto Festo Michaëlis, De Angelica Hominum Custodia ut, necessitatem illius
agnoscentes, ita suam vivendi rationem ineant, ne petulantia, inobedientia, aut
improbitate quacunque, eadem indignos se reddant, sanctosve hoc Custodes
abigant, Cives Academicos ... monens ac adhortans**

Rostochii: Typis Joh. Jac. Adleri, [1733?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004017510>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1733. Michael.

A-1256. 224.



Muz. 1733

RECTORIS ACADEMIÆ VARNIACÆ,
FRANC. ALB. ÆPINI,

S. S. Theol. D. & Prof. Ducal. Publ. FCtis
suæ hodie Decani,

PROGRAMMA
in ita dicto
FESTO MICHÄELIS,
DE
ANGELICA HOMINUM
CUSTODIA.



ut,
necessitatem illius agnoscentes,
ita suam vivendi rationem ineant,

ne

petulantia, inobedientia, aut improbitate quacunque,
eadem indignos se reddant,
sanctosve hos Custodes abigant,

CIVES ACADEMICOS HONORATISSIMOS,
STUDIOSAM cumprimis JUVENTUTEM
serio sedulòque
monens ac adhortans.

ROSTOCHII,
Typis JOH. JAC. ADLERİ, SERENISS. PRINC. &
ACAD, Typographi,

M. 1256 224



Ngelorum, quod vulgò Michaëlis vocatur, in Festo, cuius solennia hodiè celebramus, verba, prout officii Rectoralis ratio more majorum postulat, ad Vos, CIVES ACADEMICI O. O. HONORATISSIMI ! facturo mihi nihil aptius præsentibus hisce tam periculosis formidolosisque temporibus, nihil statui præsenti nostro convenientius aut accommodatius succurrit, quam si de **CUSTODIA HOMINUM ANGELICA**, qua fieri potest brevitate, quam & alia mihi negotia & turbulentus rerum nostrorum status imperant, commentatus nonnulla fvero. Idque partim, ut ejusdem Vobis cum necessitatem, tum præstantiam in memoriam revocem, partim Vos admoneam, ut ne Vos indignos illâ præstetis, impuritate vitæ puros illos sanctosque Spiritus à Vobis abigendo.

Custodit nos equidem omnino manus omnipotens Altissimi, qui Custos est seu Servator hominum, Job. VII. 20, de quo cum Psalte debitâ cum animi gratitudine ex Psalm. CXXI. 4. sqv. gloriari possumus : Ecce, non dormabit, neque dormiet custos Israëlis. Jehovah est custos tuus ; Jehovah umbra tua super manu dextræ tue ; Interdiu sol non percutiet te, aut luna in nocte. Jehovah custodiet te ab omni malo ; custodiet animam tuam. Jehovah custodiet exitum tuum & introitum tuum, ex nunc & usque in seculum. Veruntamen, sicut alias, in Regno Naturæ pariter ac Gratia, Numen

men sapientissimum per causas secundas, vel organicas
vel ministeriales, hunc ad finem ordinatas, agit ac ope-
ratur; ita nec minus in custodiâ hominum Angelorum
utitur operâ, qui propterea *λειτουργία πνεύματος* dicuntur,
sive *spiritus administratorii*, in ministerium emissi propter eos,
qui hereditatibi sunt salutem, *Ebr. I. 14.* Quod idem & ali-
bi sacer Codex testatur, veluti *Psalm. XXXIV. 8. Castrame-*
tatur Angelus Jehovæ circa timentes ipsum & liberat eos. Et
iterum *Psalm. XCI. 11. 12.* Angelis suis præcipiet (DEus An-
gelorum Dominus) de te, ad custodiendum te in omnibus viis
tuis: *Super manibus portabuisti te; ne forte impinges in lapi-*
dem pedem tuum. Nec ignota cuiquam nostrum sunt exem-
pla, quomodo vel præmonendo, vel tuendo & è periculis
præsentissimis eripiendo, vel damnum avertendo ac im-
pediendo, Angeli, curam eorum agentes, hominum exer-
cuerint custodiam. Sic Angelus à DEO missus Prophe-
tam Danielem, Principum ac Satraparum Regni Persarum
Medorumque, invidentia & instinctu permoti, quanquam
inviti ac illubentis, Regis Darii iussu, in foveam leonum
detrusum atque dejectum servavit, os leonum occluden-
do, ut non læserint ipsum, *Dan. VI. 23.* Josephum, Virgi-
nis DEiparæ Mariæ conjugem, admonuit Angelus de He-
rode, puerum JESUM recens natum, occidendi eum causa,
quærrente, jubens, ut, assuntis puero ac matre ejus, insi-
dias tyranni effugeret, in AEGyptum se recipiendo, com-
moratus ibi usque dum ipsi dixerit: quemadmodum &
mortuis, qui animam pueri quæsiverant, ejus rei certio-
rem ipsum fecit, hortatus, ut in terram Israëlis nunc re-
migraret, *Matth. II. 13. 19. 20.* Quando, *Act. V. 17. 18. 19.*
Princeps Sacerdotum & qui cum illo erant, è Secta Sad-
ducæorum, Zelo repleti, manus injecerant in Apostolos
suas, eosque posuerant in custodia publica, tum Angelus
Domini tempore noctis aperuit januas carceris, & eduxit
eos,

eos, periculis ereptos præsentissimis. Similiter & Petrum, cum Herodes eum, occiso jam Apostolo Jacobo, Johannis fratre, quem majorem appellant, comprehensum in carcerem includi fecisset, post festum Paschatos populo si- stendum, in ea ipsa nocte, diem, quo capitalis in illum ferenda sententia erat, antecedente, Angelus Domini vin- etum catenis duabus & duos inter milites dormientem excitavit, perque custodias carceris deductum liberavit, ut imminens sibi vitæ periculum salvus & incolmis eva- dere potuerit; ceu legere datur *A&t. XII. 3. - - 12.* Cujus- modi quidem plura licet in promptu sint, ea tamen af- ferre omnia non libet, revocato nobis in memoriam, quod Ecclesiæ hoc Festo publice prælegi & explicari so- let, Evangelio, tanquam quod ipsum custodiæ hominum angelicæ nos facit certiores, *Mattb. XXIX. 10.* ipso Salva- tore nostro de pusillis asseverante, quod eorum Angeli semper videant faciem Patris, qui in coelis est. Quam rationem affert, cur parvuli non sint offendendi, aut con- temnendi, cum tantæ sint DEO curæ, ut Angelorum eos circumdederit atque muniverit custodiâ. Non enim aliam ob causam, aut in alio respectu eorum dici possunt Angeli, quam quod DEus hos illorum in gratiam emise- rit, ut ipsorum curam agant, & exerceant custodiam. Ex eo vero, quod infantum custodes hîc dicuntur, colli- gendum non est, quod non etiam adultos custodianter, si quidem id præcedentia sole clarius testantur, cum & li- beratas ab hisce corporibus animas nostras in sinum Abrahæ deportent, *Luc. XVI. 22.* in ingressu in vitam, in progressu in vitâ, in egressu ex vitâ adeò custodes ho- minum existentes. Quod cum evictum ita sit, ut à ne- minè, nisi qui cum Saducæis existentiam Angelorum ne- get, *A&t. XXIII. 8.* aut cum Deistis providentiam divi- nam, vel saltem operationes DEI circa creaturas, inter- venien-

venientibus ac mediantibus causis secundis, in dubium
vocaverit; supervacanea prorsus foret objectio, si DEus
nos custodiat, Angelorum custodiâ opus non esse. Non
equidem ignoramus, Fanaticos, ut Verbo DEI scripto
pariter ac Sacramentis virtutem & efficaciam divinam
spirituales in hominibus effectus operandi denegant, a-
lém in modum ratiocinari solere: Quoniam effectus isti
DEO tribuendi sunt; idcirco eos non à Verbo externo
& Sacramentis produci. Sed ineptire sic argumentando
Fanaticos, quilibet intelligit, non ignorans regulam,
quod causæ principalis ac instrumentalis idem sit effe-
ctus; prout vel quælibet opificia & artes mechanicæ
quæque condocere queunt. Utique Spiritus S. (non
autem Fanaticorum, quem venditant, internus ille,
sed tertia S. S. Trinitatis persona) unà cum Patre ac
Filio, ita tamen ut illi bonorum à DEO nobis desti-
natorum & per Christum partorum totumque sanctifi-
cationis opus approprietur, omne supernaturale bo-
num in nobis efficit; attamen, non immediate, sed me-
diis ab ipsâmet illius infinitâ sapientiâ hunc in finem
ordinatis. Omnipotens DEus nos alit, sustentat atque
conservat: non autem sine alimentis ac mediis, id quod
unumquemque quotidiana docet experientia. Similem
igitur in modum de Custodiâ hominum divinâ & ange-
licâ sentire nos oportet. Est DEus Custos hominum su-
premus: sunt Angeli quoque custodes, at subordinati.
DEus Dominus, Angeli Ministri sunt, illius ex mandato
hominum custodiâ exercentes, ad analogiam ejus, quo-
modo Rex subditorum suorum, at per Ministros, curam
agit eorumque bonum procurat. Adeoque nec divina an-
gelicam, nec angelica divinam hominum custodiâ ex-
cludit, nec alteram altera negat.

Constat sic igitur de Angelica hominum custo-
diâ, quod detur, qualisque sit. Num autem unicui-

que hominum, statim ac vel in utero matris concipiatur, vel nascendo mundum hunc ingreditur, suus proprius, per hanc vitam omnem eum comitaturus, certus quidam ex Angelorum numero, quem Angelum Tutelarem dicere solent, assignatus à DEO sit? quod quidem Pontificii audacter affirmare ac propugnare sustinent, id equidem temerè vel afferere, vel negare nolumus, utpote cuius nullum certum & manifestum in Scripturâ testimonium habemus. Multò minus in eas, quas Scholastici, cum sociennis suis, circa materiam hanc movere solent, curiosas & partim futilis magis, quam utiles, quæstiones inquirere, nunc vacat, aut curis aliis sat molestis tantum non obruto licet: quamobrem id alii fortassis occasione temporibusque tranquillioribus reservatum esto.

Necessitatem autem angelicæ nostrum custodiæ multis adstruere velle, supervacaneum dubio procul videri poterit, cum nemo facilè tam infrunitæ mentis præsumi queat, qui communis humanæ imbecillitatis immemor, suis propriis viribus nixus, suæque ipsius prudentiæ potentiæve confisus, sufficientem sui custodiam seipsum agere valere, sibi persuaserit. Quot enim, quæso, non obveniunt in mundo res, quæ variis atque vix enarrabilibus occasionibus damnum nobis afferre, multiplicique modo nocere, ac in pericula nos gravia, partem humanis viribus non superanda, conjicere præ ipitesque dare possunt? Quot non insidiæ sæpe hominibus, proh! abs hominibus ipsis struuntur, è quibus eluctari, difficillimum est? Et esto, tantæ sagacitatis, ejusque roboris potentiaevæ quempiam inveniri, (at ubinam invenietur?) qui vel ab hominibus, vel ab aliis in mundo rebus imminentia sibi mala omnia prævidere ac a moliri à se avertereque possit; ecquis tamen à laqueis, quos die nocteque nobis ponit,

ponit, ac insidiis adversarii nostri, Diaboli, satis sibi ca-
vere, quis eas effugere virium propriarum, quæ sane ni-
mis imbecilles h̄c sunt, virtute, valebit? quem, sicut leo-
nem rugientem circumeundo quærere, quos absorbeat at-
que devoret, *Petrus I. Epist. V. 8.* docet, Certè profectò, ni-
si nos Angeli custodirent, DEique jussu contra illius ma-
chinaciones improbissimas nosmet defenderent, actum
de nobis foret, omnemque salutem nostram, temporalem
æque ac æternam, jam dudum perditam deplorare habe-
remus. Ex quibus solis sole clarior est, angelicam no-
bis custodiā necessariam esse.

Intelligitis autem, vel me tāente, CIVES ACADEMIQ̄I O. O.
HONORATISSIMI! necessitatem hujus angelicæ nostrū custodiæ
nullo planè tempore quidem cessare, sed tamen eō majorem fieri, quō
majora nos circumstant pericula, vel graviora nobis aut imminent, aut
incumbunt mala. Adeoque non potestis non judicare, quantopere præ-
sente hoc, ubi non unis expositi periculis sumus, indeque formidine
multâ repleto tempore Angelorum indigeamus custodiā. Quamobrem
tanto magis cavendum nobis est, & ita vivendum, ut ne sanctos istos,
à divina benignitate nobis concessos, custodes improbitate vitæ à nobis
repellamus & abigamus ipsi, tutelâ eorum atque protectione, DEum
offendendo, nos indignos reddentes. Moveri, nostis, quæstionem:
Num & infideles ac impii angelica fruantur custodiā? quam equidem
cum Pontificiis, vi eorum de Angelo tutelari hypotheseos, affirmare,
sed tamen etiam, simpliciter negare non audemus, siquidem DEUS, ut
alias impios bonitate suā ad p̄nitentiam ducere vult, *Rom. II. 4.* ita
& Angelorum operā eos procul dubio nonnunquam hunc in finem,
peculiari jussu, custodit, quamquam aliqui, heic inter personas & offi-
cia seu status hominum distinguendum esse, moneant, ad hæcce potius,
quam ad istas Angelorum præsidium referentes. Id verò certum est,
Scripturam nullibi, saltē expressè, impiis angelicam custodiā pro-
mittere, sed ad pios tantum & fideles divinum hocce beneficium pro-
memodium restringere, velut ab initio allegara loca condocere possunt.
Sunt Angeli spiritus puri, faciem Patris cœlestis indesinenter videntes,
& in bono hinc confirmati, ut adeò peccare nec ipsi possint, nec ullum
eum peccato commercium habere, quapropter & sanctorum ipsis in
Scripturā titulus tribuitur. Quodsi ergo similis simili gaudet, conje-
cta

Etu facillimum est, eos ut improbitatem oderunt, sic & improborum,
quamdiu tales sunt, fugere societatem. Quapropter, sollicitè nobis
caveamus, necessum est, ut ne custodiâ eorum, justo DEI judicio, pro-
pter improbitatem vitæ, privemur. Dolemus autem cordicitus, in cœtu
Civium nostrorum, qui Studiis operam navant, reperiri, de quibus ve-
rendum, quod à bonis Angelis se regi, non patientur. Qui parvi ha-
bitis, quin aperte spretis atque contemtis, ex affectu licet adversus eos
paterno profectis, & in eorum bonum ac salutem unicè directis, Rev.
Concilii, quâ privatim, qua publice propositis, monitis ac dehortationi-
bus, erga Magistratum suum immorigeros se exhibere, Legesque Aca-
demicas animo deliberato ac consultò transgredi, voluptati sibi ex aliquo
tempore gloriæque duxere, quam detestandâ inobedientiâ suâ & infru-
nita impudentia commeruerre, poenam, aliorum iis similibum in exem-
plum, non evitaturi. Dici vix potest, quantum id animos nostros affli-
git; attamen superest, DEI gratiâ, quod vicissim consolari nos potest,
dum majorem Vestrûm, CIVES SUAVISSIMI! partem gnaviter rem
suam, ceu genuinos & ingénuos, non solo nomine, sed re Studiosos
debet, agere, haud sine animi voluptate atque jucunditate quotidie con-
spicimus. Quos pietatis, omnis boni matris & originis, quos diligen-
tiæ & morum optimorum strenuos sectatores, improbitatis autem, in-
obedientiæ, petulantiae, turbarumque osores novimus & experimur.
Quem Vobis animum constantem atque perpetuum esse, Spiritu suo
sanctissimo, Numen benignissimum faxit, ut & DEI benedictionem, quam
pietati I. Tim. IV. 8. promisit, & hominum honestatis amantium omni-
um favorem consequamini, precamur atque vovemus. Reliquos autem
in malo contumaciter perseverantes, Legum divinarum humanarumque
violatores, idem Clementissimus Deus gratia sua ad se revocare di-
gnetur, ut seriam agentes penitentiam ad saniorem revertantur mentem,
ne vindictam cum divinam, tum humanam sentire eos oporteat. Is ipse
Angelorum Dominus angelicâ custodiâ, hisce cumprimis difficillimis
& metu formidineque refertis temporibus, nos omnes beat ac protegat,
quod sanctorum horum spirituum praesidio gaudentes, pacatam &
tranquillam vitam, in omni pietate ac honestate, ducere
queamus. Fiat, per Christum, Dominum nostrum,
iterumque fiat!

P. P. sub Sigillo Rectorali Academicō,
ipso sanctorum Angelorum Festo,
d. 29. Septembr. Anno MDCCXXXIII.

¶ (o) ¶



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1004017510/phys_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004017510/phys_0011)

DFG

ponit, ac insidiis adversarii nostri, Diaboli, sa-
vere, quis eas effugere virium propriarum, qu-
mis imbecilles hic sunt, virtute, valebit? quem
nem rugientem circumeundo querere, quos ab
que devoret, Petrus I. Epist. V. 8. docet, Certè pr-
si nos Angeli custodirent, DEique jussu contra
chinationes improbissimas nosmet defenderent
de nobis foret, omnemque salutem nostram, te-
æque ac æternam, jam dudum perditam deplor-
remus. Ex quibus solis sole clarior est, ange-
bis custodiæ necessariam esse.

Intelligitis autem, vel me tacente, CIVES ACADEMI
HONORATISSIMI! necessitatem hujus angelicæ nostri
nullo planè tempore quidem cessare, sed tamen eò majore
majora nos circumstant pericula, vel graviora nobis aut im-
incumbunt mala. Adeoque non potestis non judicare, qua-
sente hoc, ubi non unis expositi periculis sumus, indequum
multâ repleto tempore Angelorum indigeamus custodiæ.
tanto magis cavendum nobis est, & ita vivendum, ut ne
à divina benignitate nobis concessos, custodes improbitate
repellamus & abigamus ipsi, tutelâ eorum atque protec-
offendendo, nos indignos reddentes. Moveri, notis,
Num & infideles ac impii angelica fruantur custodiæ? quae
cum Pontificiis, vi eorum de Angelo tutelari hypotheseos
sed tamen etiam, simpliciter negare non audemus, siquide
alias impios bonitate suâ ad pœnitentiam ducere vult, Re
& Angelorum operâ eos procul dubio nonnunquam hu-
peculari jussu, custodit, quamquam aliqui, heic inter per-
cia seu status hominum distinguendum esse, moneant, ad hanc
quam ad istas Angelorum præsidium referentes. Id verò
Scripturam nullibi, saltē expressè, impii angelicam cui
mittere, sed ad pios tantum & fideles divinum hocce ben-
pemodium restringere, velut ab initio allegata loca condonat.
Sunt Angeli spiritus puri, faciem Patris cœlestis indesinens
& in bono hinc confirmati, ut adeò peccare nec ipsi possint
cum peccato commercium habere, quapropter & sanctos
Scripturâ titulus tribuitur. Quodsi ergo similis simili gau-




Image Engineering Scan Reference Chart T263 Serial No. 011

the scale towards document